



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Quæstio I. Vtrum detur intellectualis cognitio in Deo scientifica, infinita?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

polos, & centrum aut secundum esse, aut secundum dici, ut explicui *disputat. de loco*: ergo præsentia illa non possunt deferuire ad explicandam præsentiam dei; siquidem deus etiam si intrinsecè, & non extrinsecè sit præsens rebus de nouo existentibus, non patitur diminutionem, additionemve formalem à parte rei præsentiarum sicut faxum, & turris.

91 Sed hoc totum mysterium explicandum est secundum nostra principia per additionem, & diminutionem virtualem, solam deo conuenientem propter suam eminentiam, de quo quia *disput. de liberr. Dei*, data opera latissime nobis agendum est, nihil hic agere operepretium duxi, videantur ibi dicenda, quæ sufficiunt ad præsens negotium, & facile possunt applicari præsentii difficultati.

DISPUTATIO XVIII.

De natura intellectus diuini, eiusque
intellectione.

QUESTIO I.

Virum detur intellectualis cognitio in Deo
scientifica, infinita?

SECTIO I.

Prima conclusio ponitur.

1 **D**E fide est dari in Deo sapientiam; vt patet ex illo *Psal.* 146. [Sapientia eius non est numerus.] & *Sapientia* 9. [qui fecisti omnia verbo tuo, & sapientia tua constituisti hominem.] *Proverb.* 3. Dominus sapientia fundauit terram, & stabiliiuit cælos prudentia, *Eccles.* 1. sapientiam Dei præcedentem omnia quis inuestigauit? *Ad Roman.* 11. O altitudo diuitiarum, sapientia, & scientia dei, *ad Colossenses* 2. [in quo sunt omnes thesauri sapientia, & scientia Dei.]

2 Nomine scientia tribuitur Deo in Scriptura cognitio actualis intellectualis, præter duo loca nuper adducta in aliis multis, vt *Psal.* 72. [quomodo scit Deus, et si est scientia in excelsis.] *Lucæ* 12. [scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis,] *ad Rom.* 8. [quos præcinit, & prædestinauit,] *Psal.* 138. Tu cognouisti omnia nouissima, & antiqua; præterea tribuitur Deo scientia per modum habitus. 1. *Regum.* 2. Deus scientiarum dominus est, & ipsi præparantur cogitationes; & *Iob* 12. apud ipsum moratur scientia, & *cap.* 21. nunquid Deum docebit quispiam scientiam: & *Esther.* 14. Domine qui habes omnem scientiam; nam Verbum illud, moratur, habes, denotant permanentem, & quasi habitualement scientiam in Deo reperiri. *Psal.* 138. aperte hæc veritas demonstratur ibi, mirabilis facta est scientia tua ex me; vbi alia litera, habitans in te scientia per me quasi per radium mirabiliter demonstratur; quem locum *Chrysostom. hom.* 1. de incomprehensibili Dei natura, circa medium, ponderans,

altiusque repetens superiorem versum, quia terribiliter magnificatus es; sic ait; [quid cum terribiliter dicat, significat? multa sunt quæ licet miramur, non tamen cum timore, verbi gratia, magnifica ædificia solumnarum, ornamenta patietum, picturas corporum, flores, & elegantiam miramur. Item maris vastitatem, immensosque gurgites, sed non sine metu, cum eius inspicimus altitudinem. Sic & Propheta cum vastum id immensumque in æternum permanentis diuinæ scientia, atque sapientia mare inspicit, vertigine quasi tentatus stupefit, ac summo cum timore demirans recedit, atque exclamat; confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es, mirabilia opera tua, ac cunctis mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, & non potero ad eam.]

Itaque in Deo omne genus scientia, ablatis omnibus imperfectionibus suam regiam sedem collocauit, quod ex ipso nomine Græce, Latine Deus, mirabiliter demonstratur. Damascenus enim *lib.* 1. *fidei. cap.* 12. in medio, Theos, inquit, vel à Thein, id est currere, & disponere vniuersa vel ab *aithein*, id est vrere (Deus enim ignis est, omnem malitiam consumens) vel à *Theasse*, id est intuendo omnia; nam nihil eum latere potest; imo omnium inspector est, secundum illud *Eccl.* 1. *cap.* 23. Oculi domini lucidores sunt super solē circumspicientes omnes vias hominum, & profundissimum abyssi; & 44. cognouit enim Dominus omnem scientiam, quod ratiocinando conuincit eleganter David *Psal.* 93. [dixerunt non videbit dominus, nec intelliget Deus Iacob, intelligite insipientes, & stulti aliquando sapite. Qui plantauit aurem non audiet, qui finxit oculum non considerat,] quod ante dixerat Athanasius, *tract. de definitionibus*, §. quid est Deus, & in *questionibus de natura Dei*, *quest.* 2. qui etiam in *Dialogo primo*, contra Macedonium sub initium, ait: [vocabulum Deus naturam significat, omnia contemplantem, aut perudentem;] verum hanc ethimologiam fusius, quam ceteri Nizenus exponit, *lib.* ad Ablabium, quod non tres *ij*, S. Thomas 1. contra *Gent.* *cap.* 44. qui omnes videntur hoc accepisse ex Dionysio, de *diuinis omnibus*, *cap.* 12. prope medium, vbi hanc rationem nominis exponens, sic ait, [diuinitas est omnia contemplans prouidentia; atque id perfecta bonitate omnia vndeque lustrans, & complexu suo complens,] cuius vestigiis insilens Clemens Alexandrinus *lib.* 1. *Sromatum*, in fine, ibi: Theos dictus est à Theaste, hoc est videre, & contemplari; vel à Thein, quod est disponere, tanquam expositione, & ordine, & administratione; & Cyrill *lib.* 1. contra *Iulianum*, *column. vltima*, Augustinus *lib.* 7. *confessionum*, §. 9. & 1. 10. de ciuit. c. 29. prope finem, Gregor. Magnus, *lib.* 21. *Moralium*, c. 5. Hilarius *lib.* 9. de *Trinit.*

SECTIO II.

Secunda conclusio ponitur.

Limine naturali demonstratur, Deum habere infinitam scientiam, ita docuit, & demonstrauit Aristoteles, *lib.* 1. *Ethic. ad finem*, & *libro* 1. *Met.* in *proæmio*, *cap.* 2. & 3. *Metaphys.* *cap.* 4. *text.* 15. & *lib.* 12. *Met.* *cap.* penultim. *text.* 51. ibi: [sive nihil intelligat, sed ita se habeat, vt docuiens quidnam præcellens erit; seipsum ergo intelligit, si est quidem quod optimum est, & est intel]

Quaest. I. Vtrum detur scientia in Deo. 225

intellectio intellectiois intellectio.] & lib. 10. *Ethic. cap. 8. circa medium*, [viuere ipsos Deos vniuersi putant, quare, & operari; non enim oportet illos, vt Endimionem, aiunt, dormire; viuente igitur ei cui actio; & multo magis affectio; non tribuitur; quidnam aliud, praeter contemplationem restat? quare Dei operatio praecellens, beatitudine contemplatiua, sine controuersia fuerit;] vbi Aristoteles ex perfectissima, & actualissima vita Dei demonstrat, scientiam diuinam; nam si Deus scientia careret, & ad modum dormientis se haberet, nihil perfectionis continere posset in se, quae diuinitatem indicaret; sed potius instar lapidis vltimam inter entia sedem obtineret; quod est summum absurdum cum Deus omnium rerum perfectissimus sit; haec enim ratiocinatio in illis verbis aperte continetur; [siue nihil intelligat, sed ita se habeat, vt dormiens quidnam praecellens erit.] Et ideo concludit, se ipsum ergo intelligit, si est quidem quod optimum est: igitur ex infinita perfectione, & excellentia Dei qua res omnes infinito intervallo superat, euidenter demonstratur, Deum scientia, atque sapientia praeditum esse; loco autem *ex libro Ethicorum*, aliter argumentatur; videbatur enim sane Philosophus expertus, quandam maximam animi oblectationem ex contemplatione substantiae Dei, & per eam gradum facit ad contemplandam beatitudinem illam, atque felicitatem perennem, qua Deus potitur, atque fruitor, dum se ipsum infinita, & comprehensua intellectuali cognitione penetrat perfectissime; vnde 12. *metaphys. cap. 7.* disputans, an primus Motor optimus, ac perfectam actualem vitam habeat, summa & perfectissima inuenditate affectam; quae ducat originem ex sui contemplatione, profert haec aurea verba, [si ita se habet Deus, sicut nos aliquando admirabile est, quod si magis admirabilius est, at ita se habebit. Itaque lumine naturali notum esse, Deum, sapientia potiti, manifeste ostendit Aristoteles.

Idem multis in locis asserunt Plato, & Hermes Trismegistus, qui duo Philosophi partim rationis ductu, partim traditione, vel scriptis Hebraeorum edocti nostram veritatem tradidere; & praeterea addiderunt, mentem, seu verbum, aut sermonem, vel mentalem lucem apud patrem existere affirmarunt, vt de Trismegisto refert Cyrillus, lib. 1. *contra Iulian. column. vltima*, & de Platone, eiusque discipulis Augustinus lib. 7. *confessionum. cap. 9.* & lib. 10. *de ciuitate. cap. 29.* & multi alij ex Philosophis; vt refert Didacus Ruiz. *tom. 5. disp. 45. de Trinit. sect.* quam veritatem illis admirandis verbis tradidit Ioannes Euangelista *cap. 1.* sui Euangelij: [in principio erat Deus, & Deus erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, hoc erat in principio apud Deum; omnia per ipsum facta sunt.]

Diuis Augustinus lib. 1. *de doctrina christiana. cap. 8. in medio*; tam claram esse sapientiam Dei docet, vt qui eam neget, iure quidem optimo stultissimi nomen mereatur; ibi [nemo est enim tam imprudenter insulsus, qui dicat, vnde scis, incommutabiliter sapientem vitam commutabili esse praeserendam? id ipsum enim, quod interrogat, vnde sciam omnibus ad contemplandum communiter, & incommutabiliter praesto est, Deus enim scientia incommutabilis, infinita, atque perfectissima est; & hoc qui non videt, ita est quasi caecus in sole.] Quae verba protulit Augustinus oculos intendens mentis in *Psalm. 93.* vbi propheta David non solum docet Deum esse sapientem, sed etiam tam clare demonstrat, vt qui hoc dogma

I. P. Tom. I I.

eat inficias, insipiens maxime, & stultus sine dubio existat: Nam si Deus inquit Propheta, & perfectissima, & vniuersalis causa omnium rerum, debet omnes perfectiones suorum effectuum sine dubio continere; atqui Angeli, & homines scientiam, & sapientiam habent participatam à semipiterno lumine diuinitatis secundum illud Iacobi, [Omne datum optimum & omne donum perfectum desutum est descendens à Patre luminis:] ergo in Deo ablatis imperfectionibus continetur perfectissima scientia, & sapientia; patet consequentia ex duplici principio metaphysico, [nihil est in effectu, quod non contineatur in causa, & nemo dat, quod non habet:] sed in effectibus Dei continetur scientia, & sapientia, quam tribuit illis Deus: ergo euidenter sequitur, scientiam, & sapientiam in Deo reperiri; cui demonstrationi si aliquis contradixerit, insipientiae, & ignorantiae notam incurreret, ac se se in errorum plagas indueret, verba Psalmi nuper adducta sic se habent; in quibus integra ratiocinatio, quam in praesenti fecimus, liquido, ac candide manifestatur; ibi: [intelligite insipientes in populis, & stulti aliquando sapite, qui plantauit aurem; non audiet, aut qui sinit oculum non considerat: qui corripit gentes non arguet; qui docet hominem scientiam:] ac si dicat (inquit Chrysostomus) summam insipientiam, & stultitiam esse sibi persuadere perfectissimum Deum, Principem ac praecipuam causam Angelis, & hominibus tribuentem cognitionem euidentem, sensitiuam, & intellectuam scientificam posse carere infinita, ac perfectissima scientia; quoniam omnis causa principalis, ac potissimum increata, imparticipata, independens, & prima debet in se praehabere formaliter, aut eminenter quamlibet perfectionem, quam causat, Deus autem non solum eminenter: sed potius formaliter debet continere scientiam, & sapientiam, quia scientia, & sapientia secundum suum conceptum praecisum dicit perfectionem simpliciter simplicem; quia scientia secundum suum purissimum conceptum est melior ipsa, quam non ipsa, hoc est quam carentia illius, & quam oppositum illius, videlicet quam error, aut ignorantia; haec enim est definitio perfectionis simpliciter simplicis quam adducit Anselmus *Prolog.* sed in Deo datur formaliter omnis perfectio simpliciter simplex: ergo in Deo datur formaliter scientia, & sapientia, praecipue quia nulla possibilis est perfectio, quae sit altior, & dignior intellectione, siue sapientia, & sic Deo dignissima est.

Vrgetur, ac declaratur, nam delectatio ex suo genere est perfectio nobilissima, [nobiliori enim modo (inquit Philosophus) se habet res existens delectabiliter, quam si existat absque experientia delectationis, cuius signum est, quod omnia, & bestiae & homines prosequuntur eam.] Ita Aristoteles 10. *metaphys. & 1. Ethic. cap. 13.* vnde omnes existimant, tantum vitam felicem delectabilem esse, & implicat delectationem esse cum infelicitate: & 1. *Ethic. cap. 3.* refert, in quadam Deorum ara subscriptum esse: Delectabilissimum esse quo quis optat frui; ergo delectatio ex suo genere est perfectissima: ergo reperitur formaliter in Deo: ergo etiam in eo reperitur cognitio perfectissima, quia delectatio, seu voluptas praesupponit necessario cognitionem, quia voluptas est actus appetitus, & perfectissima voluptas est actus perfectissimi appetitus, scilicet voluntatis; vnde volitio erit; sed nihil volitum, quin praecognitum &

f f ergo

ergo ante delectationem, & voluptatem præsupponitur cognitio in deo, non solum eminenter, aut virtualiter, sed etiam formaliter, quia actualis delectatio, seu voluptas non sequitur cognitionem virtualem, aut eminentem, sed potius formalem, & actuale cognitionem; quapropter ex eo quod aliquis habeat intellectum solum sine actuali intellectione, nullam potest habere actualem delectationem & voluptatem in voluntate, ut videre est in pueris in ventre matris existentibus, qui paulo antequam nascantur intellectum habent, qui eminenter, aut virtualiter intellectio est, & nihilominus nullo modo actualiter delectantur, incipit enim delectatio voluntatis, quando datur actualis cognitio de obiecto delectabili: ergo ubi-
cunque datur delectatio formalis, debet dari cognitio; cum autem in deo detur infinita delectatio, infinita debet dari cognitio intellectualis actu, & formaliter.

Hanc rationem principalem etiam indicauit D. Dionysius *lib. de diuinis nomin. cap. 7.* his verbis: [veram, æternamque vitam, & ut sapientem & ut sapientiam ipsam laudemus, atque adeo, ut omnis sapientiæ procreatricem, & omni sapientia, intelligentiaque superiorem sapientia, quæ omni sapientia superior est, & sapientiæ ipsius, & vniuersæ, & vniuersæque est procreatrix,] ac si dicat, non posse deum esse conditorem, & creatorem sapientiæ creatæ, seu creaturarum sapientia præditarum, quin in seipso sit sapiens, & contineat sapientiam formaliter, primum quia quidquid est in effectu, continetur in causa; secundum quia continere sapientiam formaliter perfectio maxime laudabilis est; quam veritatem explicat Gregorius Nissenus, *lib. aduersus eos qui agere ferunt reprehensiones*, ibi: [Deus habens astatim eius nobis parum esse largitus, ut illum primam adspiciamus, & agnoscamus rationem rationis datorem.] Vbi ex ratione, & intelligentia quam nobis tribuit causa causatum deus, inquit Nizenus, debere nos rationem sapientissimam in deo venerari.

Secundo principaliter sic probatur ex D. Augustino, *lib. 1. de doctrina Christiana, cap. 7.* qua ratione desumpta ex eodẽ Augustino Angelicus Doctor 1. p. q. 18. art. 3. vult, quia deus est in perfectissimo gradu essendi; sed perfectissimus gradus essendi est viuens: ergo deus est in gradu viuens; & quidem formaliter, quia si formaliter non esset viuens, non esset in perfectissimo gradu, sed potius esset in gradu imperfectissimo, scilicet inanimatorum, & non viuentium; atqui viuens comparatum cum non viuenti, & cum inanimato est perfectius, & excellentius illis ut ex terminis ipsis patet: ergo deus potius viuens, quam non viuens, & inanime quid debet esse, præcipue quia si deus esset non viuens formaliter, nullo modo posset continere viuentia quæ producit, quia non contineret formaliter, seu vniuoce; quia quod formaliter tale non est, formaliter, & vniuoce non potest esse causa effectus formaliter continens aliquam perfectionem ut ex se patet.

Nec eminenter posset continere viuentia, quia quod eminenter continet aliud est perfectius illo; unde lux est perfectior calore, quia continet eminenter calorem; sed non viuens formaliter non est perfectius, sed potius imperfectius viuente formaliter: ergo si deus non esset viuens formaliter, non posset continere eminenter viuens formaliter, ac proinde nullo modo contineret viuentia; sed continet illa: ergo est formaliter viuens; sed non est quomocunque viuens, sed potius perfectissime

viuens: ergo est viuens intellectualiter, quia gradus intellectualiter viuendi est perfectissimus omnium graduum vitæ; unde deus erit intelligens cum infinita scientia, & sapientia; verba, quæ hanc demonstrationem continent, prolata à D. Augustino hæc sunt, illi, qui per intelligentiam pergunt videre quod deus est, omnibus eum naturis visibilibus, & corporalibus intelligibilibus etiam & spiritualibus omnibus mutabilibus præferunt: omnes tamen pro excellentia dei certatim dimittant, nec quisquam inueniri potest, qui hoc deum credat esse, quo melius aliquid est. Itaque hoc omnes consentiunt, deum esse quod cæteris rebus omnibus anteponant. Et quoniam omnes qui de deo cogitant, viuunt aliquid cogitant, illi soli possunt non absurda, & indigna de deo existimare, qui vitam ipsam cogitant, & quæcunque illis forma occurrerit corporis, eam vitam viuere, vel non viuere statuunt, & viuentem non viuenti anteponunt, eamque ipsam viuentem corporis formam, quantalibet luce præfulgeat, quantalibet magnitudine præmineat, quantalibet pulchritudine ornetur, aliud esse ipsam, aliud vitam qua vegetatur intelligunt, eamque illi moli, quæ ab illa vegetatur, & animatur, dignitate incomparabili præferunt. Deinde ipsam vitam pergunt inspicere, & si eam sine sensu vegetantem inuenierint, qualis est arborum præponunt ei sentientem qualis est pecorum, & huic rursus intelligentem, qualis est hominum, quam cum adhuc mutabilem viderint etiam huic aliquam incommutabilem cogunt præponere, illam scilicet vitam quæ non aliquando sapit, sed est potius ipsa sapientia, sapiens enim mens, id est adepta sapientia, antequam adipisceretur, non erat sapiens; at vero ipsa sapientia, nec fuit vnquam insapiens, nec esse vnquam potest. Sic Cherubicus doctor; vbi propter excellentissimam perfectionem dei concedit ipsi vitam non quancunque, sed intellectualem, quia perfectissima omnium; non mutabilem, sed purissimam, & actualissimam, quæ in sapientia infinita consistit.

Tertiam principalem rationem ad demonstrandum Dei scientiam nobis suppeditat D. Augustinus, *lib. 1. de Trinitate, cap. 4.* his verbis: [vniuersa natura proclamatur, habere præstantissimum conditorem qui nobis mentem, rationemque dedit naturalem, qua viuentia non viuentibus, sensu prædita non sentientibus, intelligentia non intelligentibus, immortalia mortalibus, impotentibus potentia, iniustus iustus, speciosa deformibus, bonis malis, incorruptibilibus corruptibilibus, incorporalia corporalibus, beata miseris præferenda videamus. Ac per hoc quoniam rebus creatis creator sine dubitatione præponimus, oportet, ut est, & summe viuere, & (supple) summe cuncta sentire, atque intelligere, & mori, corrumpi, mutarique non posse; neque corpus esse, sed spiritum omnipotentissimum, iustissimum, speciosissimum, optimum, beatissimumque fateamur:] Quæ ratio in hunc modum formatur; quia omnis substantia spiritualis, & immaterialis perfectissima est viuens intellectualiter; sed deus est substantia spiritualis perfectissima: ergo viuunt vita intellectuali perfectissima, quæ in perfectissima scientia, atque sapientia consistit: prima propositio lumine naturali est nota; quia omnis substantia requirit operationem connaturalem, & propriam; hæc autem in substantia spirituali sine vlla cōtrouersia esse non potest alia, nisi intellectio, & volitio: nam operatio illa nõ est transiens, hæc namque nisi procedat ab immanente, & interna imperfectissima est, cum tamen per-

fectissima

perfectissima debeat esse operatio substantiae spiritualis utpote constituta in gradu altissimo rerum: igitur operatio substantiae spiritualis debet esse intrinseca, immanens, & vitalis: operatio autem spiritualis immanens, & vitalis non potest esse alia, nisi intellectio, aut volitio, quia operatio, quae esse debet in omni substantia spirituali debet esse perfectior omnibus operationibus, quia substantia spiritualis perfectior est substantia non spirituali; nulla autem perfectior operatio assignari potest, quae tribuatur substantiae spirituali quam intellectio, nulla igitur esse potest spiritualis substantia, quae eo ipso non habeat intelligendi virtutem.

Dices, deum bene posse producere substantiam spirituaalem, quae non sit intellectiva.

11 Sed contra, nam licet fingeremus deum posse creare substantiam spirituaalem non intelligentem, nihilominus evidentissimum est in illo gradu perfectiorem esse substantiam intellectualem, quam eam, quae aptitudine ad intelligendum caret: ergo substantia perfectissima in gradu spirituali necessario debet esse intellectualis; sed deus non solum est perfectissima substantia in gradu spirituali, sed etiam infinite perfecta: ergo non solum debet esse intellectualis, sed etiam infinite intellectualis, & sapiens.

12 Declaratur amplius, quia in rebus creatis substantia immaterialis coniunctam habet vitam intellectualem, ut videre est in animabus rationalibus, & Angelis: ergo in deo, in quo perfectior est simplicitas, & spiritualitas praestantior debet esse vis intelligendi formalissime; nec dici potest vitam intellectualem in deo solum esse eminenter, non formaliter; nam licet vitam creatam pluribus imperfectionibus admixtam solum contineat eminenter; at vero vitam intellectualem infinite perfectam ab omni imperfectione liberam formalissime habet, quia omnia inferiora quae in deo solum eminenter sunt, esse debent in ipso per aliquam formalitatem formaliter existentem: ita creaturas omnes possibiles eminenter continet per omnipotentiam in deo formaliter existentem; quae formalitas perfectior est possibilitate creaturarum: ergo si deus solum eminenter continet perfectionem vitae intellectualis scientiae, & sapientiae in aliqua formalitate, & perfectione formaliter existente in deo, debet continere illam, quae sit perfectior omni vita intellectuali, scientia, & sapientia, quae simul formaliter, neque sit vita intellectualis, neque scientia, & sapientia formaliter; sed nulla perfectio potest assignari in universo, quae sit perfectior vita intellectuali, & formaliter non sit talis, quae sit excellentior scientia & sapientia, & non sit formaliter scientiae, atque sapientiae perfectio: ergo si deus continet eminenter scientiam, sapientiam & vitam intellectualem, sine dubio formaliter habebit scientiam, sapientiam, & vitam intellectualem.

13 Quarta ratio sumitur ex Philosopho 7. *Polytic.* cap. 1. ubi sic ait: [Deum esse felicem, atque beatum non per aliquid externorum, sed per se ipsum, quia talis est secundum naturam, & ex secundo, *Magnor. Moralium*, cap. 15. ubi haec profert. [Est iactatus de deo sermo quod sit sibi satis, neque villo indigeat, quoniam bona cuncta obtinet deus.] Ex quibus sic argumentor: deus est summus, & infinite beatus, ac proinde summa, & infinita beatitudine, & felicitate debet frui: sed summa, & infinita beatitudo consistit in summa, ac perfectissima cognitione, & contemplatione; cognitione

I. P. Tom. II.

scientifica, & amore summi, & infiniti boni, quae est ipse deus: ergo deus habet summam, & perfectissimam intellectionem comprehensivam sui ipsius, & perfectissimum, ac infinitum amorem, quo sediligit: Maior certissima est quia summum, & infinitum ens non debet habere carentiam beatitudinis, & felicitatis, alias infelicitissimum esset quod est summa imperfectio, & imperfectior esset creaturis à se productis, tanquam à causa, siquidem illae suam felicitatem, & beatitudinem habent; deus autem nullam obtinet beatitudinem, & felicitatem per vos.

Minor illa late demonstrata manet in procemialibus huius scientiae. 14

Quinto, & ultimo probatur nostra sententia ex rerum creatione, providentia & ordine earundem: Nam ut ait Tullius 1. *de natura Deorum*: [quid enim potest esse tam apertum tamque perspicuum, cum coelum adspeximus, caelestiaque contemplati sumus, quam esse aliquod lumen, sapientiamque praestantissimam mentis quo haec regantur;] omnia enim creata non casu, & fortuna, sed sapientissime, & prudentissime gubernantur; cum in omnibus natura constantibus nihil temerarium, aut inordinatum, nihil non probe administratum conspiciamus perfectissimam quaedam sapientiam in rerum administratione suspicimus quam non aliunde, praeterquam à divina quadam mente rebus omnibus providente proficisci posse intelligimus, quia omnia, tam parva, quam maxima suis regulis contineri, suis terminis colligi, suo ordine regi, & licet inter se pugnantia, vno sine conciliari aperte & evidenter demonstrat infinitam sapientiam dei omnia regentis, & gubernantis; nam ut ait Lactantius *lib. 1. divinarum institutionum*, cap. 11. [nemo est tam rudis, tam ferus moribus, quin oculos suos in coelum tollens, tamen nesciat, cuius dei providentia sapientissima regatur hoc omne, quod cernitur, aliquam tamen esse intelligat ex ipsa rerum magnitudine motu, dispositione, constantia, utilitate, pulchritudine, temperatione, nec posse fieri, quod id quod mirabili ratione constat non consilio sapientissimo maiori aliquo sit instructum.]

15 Navim cum primum cernimus (inquit Chrysostomus) erecta pupi inter medios maris vertices sulcantem recto cursu ad portum properare, statim periculum, ac sapientem nautam in ea esseprehendimus, qui illius moderationi insulat. Cum urbem aliquam ingredimur, optimis legibus munitam, in qua cum varia hominum genera sint, qui diversis plane officiis, ac vitae rationibus, & muneribus incumbunt; universi tamen summa inter se pace fruuntur, an non optimum, ac sapientem ibi praesse gubernatorem existimamus. Denique quis domum aliquam regiam adit in qua mixta, tum vocum, tum musicalium instrumentorum mirra varietatis harmonia compactus, concentus audiat, qui suavitatem ingente aures demulcet, qui protinus instituta harmoniae rectorem peritissimū aliquem esse non sentiat, sapientiam eius non laudet, peritiam eius non miretur? Id enim naturalis hominum discursus, ac ratiocinatio per se gignit: ergo à fortiiori nullus erit tam naturae lumine destitutus, qui cum ingentem hanc mundi navim recto itinere, ac irrefragabili lege per temporum varietates ad occasum veluti ad portum properare conspiciat, summum ac sapientissimum ibi nautam moderatoremque prudentissimum deum esse non percipiat.

16 Age quis est tam vecors, qui cum hac magna rerum corpora in hac populosissima, & amplissima mundi vrbe inter se pugnancia nova, ac perpetua pacis, ac amicitia lege conciliari animadverterit, statim sapientissimum, prudentissimum, infinita scientia, & cognitione his reum gubernatorem, qui ea imperio coërceat præsidere non existimet? Et quis tandem cælestium orbium ordinem, astrorum cursum, lunæ vicissitudines, solis itinera, & ordinatissimosque rerum omnium motus, ac operationes; ex quibus suavissimus mortalibus, velut concentus redditur, secum animo revolvit, qui horum omnium rectorem, ac ducem infinita sapientia circumfusum, & esse non agnoscat; qua similitudine usus est Cicero de natura deorum his verbis: [qui namque convenit signum, aut tabulam pictam cum aspexeris scire adhibitam esse artem, cumque procul cursum navigii videris quin id ratione, & arte sapientissima moveatur, non dubitare: aut cum solarium, vel descriptum, aut ex aqua contēplare, intelligere, declarare horas arte, non casu, mundi autem qui & has ipsas artes & earum artifices, & cuncta denique complectitur consilii, & rationis esse expertem putare? At si diuinam administrationem, & Dei à rebus providentiam sapientissimam secluserimus, quæ in natura excogitari poterit ratio per quam ea, quæ à natura fiunt, administrari dicantur?] Sic ille.

17 Hic præclare Trismegistus in *Primandro, Dialogo* 12. hæc verba protulit: arduum quiddam est ô filij, Deum percipere peritissimum, sapientissimum, hunc quoties intueri volueris, adverte mundi ordinem, atque ordinis eius ornatum; adverte necessitatem illorum, quæ sensu percipiuntur providentiamque cunctorum quæ facta sunt ante, & quæ quotidie fiunt; hoc enim præclarissimum est divinæ providentiæ signum ipse pulcherrimus, atque inviolabilis omnium rerum ordo in natura conspicuus; neque tandiu tamque immobiliter omnia ordine statuto incederent, nisi ea optima divinæ, sapientissimæ providentiæ lege continerentur; quamobrem inter ea, quæ ad Dei sapientiam cognoscendam hominem trahunt, non obscuro loco providentiam collocat, quæ universa terrarum sola gubernantur; in eodem *Dialogo*, ipse Trismegistus his verbis: [ex quatuor ergo his fili agnosces, percipiesque Dei sapientissimam scientiam ex ordine scilicet rerum, ex naturali earundem obedientia, ex illius providentia, quæ singulis quibusque prospicit.] Denique ut illorum errorem fugillet, qui Deum universalium tantum non singularium providentiam gerere putabant in *Dialogo* 10. ad *Asclepi*. Deum hominis curam agere affirmat his verbis; [neque Deus ignorat hominem sed curam eius habet, ab eoque se cognosci vult.] hæc respiciebat *Isaias cap. 40.* quando dicebat, [levate in excelsum oculos vestros, & videte quis creavit hæc? qui educit in numero militiam eorum & omnes ex nomine vocat præ multitudinem fortitudinis ac roboris, virtutisque eius.] Vnde Augustinus *sermone. 55. de verbis Domini*, [interroga (inquit) mundi ornatum, cæli fulgorem, dispositionemque syderum, & vide si non sensu suo tibi respondeant Dei sapientia nos fecit, & gubernat.]

18 Iure quidem optimo hæc profert Augustinus; nam si rerum naturam, ac mundum ipsum interrogemus, plane se à Dei infinita, ac sapientissima scientia gubernari efficacissima omnipotentia conditam secundum totum, quam etiam se-

cundum partes esse clamat; Etenim elementa, quibus universum constituitur vicissitudine quadam in alterutra transeunt, ac conuertuntur. Terra quippe in aquam, aqua in aërem mutatur, aër rursus in aquam labitur: atque his vicissitudinibus perpetuas rerum generationes fieri exploratum est; cui vero non perspectum sit has vicissitudines tempore mensurari, cum totius mutationis tempus mensura sit? Porro quæ tempore mensurantur, initium habent, neque villo modo æterna esse possunt: ubi enim mensura; inde æternitas exulit necesse est, quæ omnino immensurabilis est.

Perpendamus singula universa suis temporibus constant, veri succedit ætas, æstati autumnus, autumnus hyems ordinatissima volubilitate, & alternatione mirabili; mare suos patitur fluxus, suis regulis, ac mensuris præfixos, aër quoque suas habet ventorum species, quibus modo concitatur, modo demulcetur, hique vicissim quodam ordine dominantur, ab oriente stat sublolanus ventus cardinalis, quia nautis levans dicitur; his cum helespontio, ac vulturno suis lateralibus eam orbis partem sibi vendicat, quæ sol in Æquinoctiis oritur, ab Occidente irruit Zephyrus, vel Fabonius, cui ab austro Africanus coniungitur, Septentrio à Polo procedit, cui Boreas vel Achilo vicinus est versus ortum, Austro, vel Notus à meridie oritur, ab iis tam nubes, quam imbres, tam tempestates, quam tranquillitas educuntur; has porrò mutationes ita præfixo ordine dispositas quis sapientissimo auctore, & gubernatore aliquo prudentissimo credere dicat.

Cæterum constans ipsa terræ stabilitas, ac varia illius forma non obicere Dei sapientiam illius opificem, & gubernatricem nobis agnoscendam tradit. Cui enim tam magna hæc, & pulcherrima fabrica admirationem non pariat? Quæso, an nullo auctore factum sit (ut Nazianzenus verbis utar) ut terra quidem immensis ponderis per se fixa stet, & immobilis; neque cui innitatur, aut in quo gradum firmet, præter Dei voluntatem habeat quidquam? age hæc eadem tellus, quomodo alibi in montium cacumina assurgit alibi in campos funditur, idque specie varia, & multiplici, dum crebra permutatione subinde aliam, atque aliam faciem exhibens; tum est ad vitæ usum copiosior, tum ipsa varietate oculis gratiosior? Deinde quæ partim pro habitantium viâ attollitur in colles, ipsa deprimitur in valles, dilatahiturque, & partim inhabitabilis iacet; an non hæc divini opificij magnificentiam, infinitam sapientiam, & prudentissimam scientiam ostendunt; quid quod neque ipsa tellus, ut inquit Theodoretus? quamquam per tot annorum millia aratris cindatur, feratur, conseraturque, quamquam conculcetur, effodiatur, radatur imbribus, nubibus subsideat, atque ardoribus atteratur, vllam sui unquam diminutionem perpessa est, minoresve agricolis foetus aut pauciores educit.

Atqui seminum germina, ac plane mirabilem 21 germinandi modum animo secum versat, qui dei opificis sapientiam non stupeat; nam ut Clemens Alexandrinus *recognitionum lib. 8.* scribit, cum terræ fuerint semina mandata, humorem, quem suscepit gleba, velut uberibus suis seminibus immulget: aquis inest quadam vis spiritus futuri corporis in ipso statim semine formari incipit, & per culmum spicamque constituit: turgescit etenim ex humore seminum

Quaest. I. Vtrum detur scientia in Deo. 229

num grano per angustos quosdam venarum meatus vis illa spiritus, quæ inesse aquis data est, utpote incorporea, transcurrentes ad incrementum semina suscitatur, & crescentium species format. Ministerio igitur huiusmodi elementi, cui vitalis ille spiritus insitus semper, & ingenuus est, efficitur ut non solum reparatur, sed ut per omnia similis species & forma his quæ iacta fuerint seminibus redeant; quæ ratio cui vel breuem sensum habenti non aperte declarat, non irrationalis naturæ, sed Dei sapientissimi præsertim id opus esse.

22 Quid de animalibus dicendum (inquit Clemens Alexandrinus *recognitionum* lib. 8.) cum diuina providentia factum sit, ut cum temporis senecta resoluerebantur, per progeniem reparentur, & mira quadam dispensatione providentiæ nascitur per eorum lac præparetur in vberibus, ac statim, ut natum fuerit, nullo docente sciat; ubi alimonia suæ horrea requirit, gignuntur autem non solum mares, sed & feminae; ut ex utroque possit rursus constare posteritas; sed ne viderentur hæc naturæ quodam ordine potius, quam dispensatione conditoris fieri, pauca quadam ad diuinæ providentiæ indicium, immutato prorsus ordine, seruari iussit; nam ut per os concipiat cornus, & per aurem mustella generet, ut aues nonnullæ, sicut gallinæ interdum oua, vel vento, vel pulvere concepta pariant; alia quadam animalia marem viciibus alternis in formam vertant, & sexum per annos singulos commutent, ut lepores & hiennæ, alia ex simo bouum ut scarabæi, alia ex herbis ut Deocymo scorpium, & rursus herba ex animalibus, ut ex cornu cerui, vel capræ, Apij, & asparagi, & quid opus est plura enumerare, non diuinæ infinitæ sapientis providentiæ opus est, quæ mutato ordine eo qui à natura datus putatur multimodis differentiis nariuitatem animalium constare voluit, ut ex his non irrationabilis rerum cursus, sed supremæ cuiusdam mentis omnium opificis ratione ductus ostenderetur.

23 Neque hæc solum Dei opificii unum ostendunt sed ipsa etiam vasta maris profunditas, quod cum ventorum flatibus concutitur, & tanta turgat aquarum multitudine non erumpit, non egreditur terminos, non tellurem inundat, sed vinculis immobilibus littori alligatur, & quamvis turgescitibus ac spumantibus vndis, quandoque intumescat; tamen cum primum littori appropinquat gradum sistit, fluctus frangit, iras remittit, ac tandem placatum retrocedit, quibus sine dubio præsentiam sapientissimi gubernatoris ostenditur, coercentis, ac temperantis ipsius maris impetus, quod his verbis docuit David *Psalm.* 92. [mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus]; quæ vis immensam maris naturam, sic cogit, ac velut sub lege coercet. Quis illud littore, velut ostijs conclusit, cum erumperet? is plane, qui apud *Iob* ait: [circumdedi illud terminis meis, & posui vectem, & ostia; & dixi usque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.]

24 Age vero terra ipsa, & quæ circa eam sunt, relictis ad aëris altiora conscende, atque in eo opificis benignitatem perpende; & quidem ingentes diuitias, adeoque copiosas in eo effusas reperies, ut benignitatem suam ipse conditor nullo dignitatis, nullo fortunæ respectu hominibus communicet: tanta enim est illius amplitudo, ut nullis finibus terminetur, neque certis ætatis gradibus sese impertiat; sed ex quo ut olim Map-

na quantum satis sit, quisque pro se accipiat, sitque hoc modo ex sortis æqualitate apud omnes gratiosa largitio. Hic volatilis natura suum vehiculum habet, hic venti sedem; hic anni partes commodè temperat, animantibus vitam largitur, vel potius coniunctionem animi cum corpore tuetur in hoc corpora; & simul etiam loquendi facultas viget, in hoc est quidquid aut per se luceat, aut aliunde illuminatur, per huius denique tractum visus velut iaculante vires suas exercet; hanc vero aeris naturam, ut inquit Theodoretus, quis non admiratur inconsumptam persistere, cum tamen tot numero homines, totque animalia illum spirando, & attrahant, & remittant, solisque adeo feruentes radij permeando traiciant.

25 At vero non satis est, aerem, & quæ sub eo sunt peragrassæ, ut in ijs Deum opificem investigaremus sapientissimum, nisi cælum, ac cœlestia animo perlustraremus; in quibus præclariora Dei vestigia splendent. Contemplare ingentem hanc cœli amplitudinem, ambitum, altitudinem, dimensionem: quis eo usque vnquam peruenit, ut certo docere posset quid cælum, quid stellæ, quis orbium numerus, quæ illorum materia, quæ effigies, quis color illis insit? an hoc expedire poterit quisquis est sublimiorum istorum professor, cum vix terrestrium rerum certam vllam scientiam attingat? certe vides cælum hoc quam pulchrum, quam amplum, quam magnificum sit, quemadmodum vario stellarum ordine exornatur, & splendeat, quis illi solem, lunam, ac tantam stellarum multitudinem, tanquam rotæ clauos, aut tabulæ nodos affixit, quis ita firmum ac constans illud perstitit, ut cum iam per sex annorum millia supra nos feratur, haud tamen tam longo temporis intervallo factum sit, ut senesceret, aut dilaberetur; sed quam principio constantiam, ac pulchritudine sortitum est, eandem nunc quoque integritatem seruet? quis cœlestem hunc ambitum, solis cursum mirabilem iam ab Oriente ad Occidentem, iam à Septentrione ad Meridiem deflextens secundum illud *Ecclesiast.* 1. [oritur sol, & occidit, & ad locum suum reuertitur; ibique renascens girat per Meridiem, & flectitur ad Achilonem, lustrans vniuersa in circuitu pergit spiritus, & in circulos suos reuertitur.] Stellarum situm, motus in orbem actos, contrarios quidem, ac diuersos, sed tamen in diuersitate regulam atque ordinem seruantes animo contemplatur, qui non secum ipse ratiocinetur; hæc non à se ipsis, sed ab infinita sapientia Conditoris Regij? quid dubitas in hoc maximo cœlorum opificio, qui magnitudine, nobilitate, præstantia res humanas antecellunt, latentem Dei sapientiam infinitam venerari.

26 Postremo ad contemplandum hominis constitutionem quæ omnium præstantissima est, quippe qui Dei imago est, in quo velut paruum in alio mundum, ac vniuersas rerum conditarum formas, quasi compendio colligit, ac proinde Microchrysmos nomine insignitur, te ipsum ingredere, ac tecum perpende quanta sis ratione compositus: & hinc præcipue sapientiam ac potetiam Conditoris intelliges, quæ cum ex diuersis substantiis constet, mortali scilicet, & immortali, societatem tamen diuersitas non refugit. Perpende quæso in te ipso sapientissimi Artificis opus, inquit Clemens Alexandrinus *recognitionum*, lib. 8. quomodo ossa, velut columnas quasdam, quibus caro sustentetur inseruit, tum deinde æqualis ex vtraque parte

230 Disputatio XV III. De scientia Dei.

dextera, & leua, mensura seruetur, vt congruat pes pedi, & manus manui deferuiat; digiti quoque digitis, vt singuli ad singulos tota aequalitate concordent; sed & oculus oculo, & auris auri, quæ non solum consona sibi, & concordantia, sed & visibus necessariis apta formantur; manus quidem vt operi commodæ sint, pedes, vt gressibus, oculi, vt visibus seruiant, superciliorum exbuiis custoditi, Aures ad audiendum ita formatae vt simbalo similes susceptiverbi repercussum sonitum altius reddant, & vsque ad sensum cordis emittant; lingua autem ad loquendum illis dentibus, plectri reddat officium ipsi vero dentes alij vt incidant, & diuidant cibos, & interioribus tradant, interiores vero vt in modum molæ conficiant, ac comminuant, quo oportunius stomacho traditi coquantur, vnde & molares appellati sunt, sed & nares commendi status & reddendi, ac recipiendi gratia factæ sunt, vt in nouatione spiritus calor naturalis, qui ex corde est, vel accendi, vel refrigerari, cum res poposcerit, queat; pulmonis officio, qui pectore inhæreere datus est, vt mollicie sua palpet, & foueat cordis vigorem in quo videtur vita consistere.

27 At quid dicam de substantia sanguinis quam velut fluius ex fonte procedens, & vno prius alueo inuectus, tum deinde per innumeras venas, quasi per areas derivatus, totam humani corporis terram vitalibus rigat fluentis iecoris opæ ministratus, quod ad efficaciam digestionis ciborum, atque in sanguinem mutandorum in dextero latere iaceret? Quod si tanta ratione videmus in homine membra disposita, vt cum cæteris omnibus similis habitus videatur, in his tantummodo discrepent, in quibus vsus diuersitatem requirit, & neque in viro aliquid superfluum, aut egens, neque in femina quod desit, videamus vel quod abundet; qui ex his omnibus non euidenter agnoscat, infinitæ rationis opus, & sapientiam infinitam conditoris: quis cum Prophetia Regio non exclamet: mirabilis facta est scientia sua ex me;] emicat igitur tam ampla summi opificis maiestas in omni, tam supernarum, quam terrestrium creaturarum classe, vt mundus iste diuinæ plane specimen operationis sit, ac illius maiestatis insigne; in quo dum opus videtur, præfertur operatoris peritia, & cessante ipso, operationis officio, atque etiam tacente artifice, summa illius sapientia, qui ipsum condidit illum declarat, & operatori Deo operis sui testimonium suffragatur, vt cum vate visibilia intuentes, & ab iis ad invisibilia mentis oculis attolentes verba illa proferamus, [quam magnificata sunt opera tua Domine, omniam sapientia fecisti.]

SECTIO VLTIMA.

Tertia conclusio Ponitur.

28 IN Deo datur non solum sapientia, sed intellectus: hæc conclusio expresse continetur in scriptura sacra. *Psalm.* enim 7. *vers.* 79. hæc habetur, & in intellectibus manuum suarum deduxit eos;] & *1. Sam.* 1. 5. ibi] qui fecit cælum in intellectu,] vbi quamvis Augustinus, & alij Doctores exponant Deum omnia fecisse in sapientia, & in verbo, inde tamen colligitur nomen intellectus aliquo sensu verificari de sapientia diuina. Nec obstat actum ipsum intelligendi multoties signi-

ficari nomine intellectus, vt *Psalm.* 118. [Da mihi intellectum ut discam mandata tua;] quin potius inde maiori probabilitate colligitur, actua-lem intellectionem increatam & creatam vim intelligendi aliquid habere commune, ratione cuius appellari possit intellectus cum aliqua præcisione ab actualitate. Clarius tamen hæc veritas continetur *Ecclesiast.* cap. 1. ibi: [sapientiam Dei præcedentem omnia quis investigauit? Prior omnium creata est sapientia, & intellectus prudentiæ ab ævo, fons sapientiæ Verbum Dei in excelsis, & ingressus illius mandata æterna.] Ecce quomodo sapientia diuina vocatur aperte intellectus.

Patres etiam, & Ecclesiæ Doctores hanc veritatem sine controversia docent, Cyrillus *lib.* 1. 1. *thessauri*, in fine totius *lib.* dicit [ipse quidem vt intellectus supremus, atque optimus seipsum optime cognoscit] & *lib.* 1. in *Ioann.* cap. 5. de filio tractans ait: [mens, & intellectus in Verbo, si sapientia est, & Verbum rursus, ac sapientia in intellectu conspiciuntur, vbi patrem appellat intellectum, Filium vero, & imaginem Patris intellectum esse dicit.]

Damascenus *lib.* 1. cap. 15. ibi [dicitur Deus intellectus, & ratio, & sapientia, & potentia, dicitur & sapientia, & sapiens; similiter cum intellectu tum intelligens vita, & viuens] & Dionysius de diuinis nominibus sic ait: [diuina mens diuinus intellectus, omnia continet, & scientiam anticipatam habet] Irenæus *lib.* 2. cap. 48. *initio*, dicit Deus totus existens mens, quod cogitat hoc loquitur] mens autem synonymum est intellectus.

Præterea diuinum verbum ex Deo, vel ex Patre, tanquam ex mente procedere, hoc est per intellectum generari, docent Nazianzenus, Chrysostomus, Basilii. Nizeni. Athanasius, Dionysius, Cyrillus Alex. Theodoretus Ancyræ Episcopus August. & Fulgentius, quorum Patrum vestigiis insistentes scholastici vnanimi consensu docent, Spiritum sanctum procedere per voluntatem à Patre & Filio, tanquam ab vnico principio; Verbum autem à solo Patre per intellectum generari, quod dogma late continetur in Concilio Florentino in litteris vniouis; vnde D. Thomas. 1. p. 9. 1. 4. art. 2. in corpore, & *lib.* 1. contra Gent. cap. 46. & *lib.* 2. contra gent. cap. 10. & de veris. quæst. 2. art. 1. in sed contra. & in corpore. Deo concedit intellectum absolute loquendo, & de illo tractat quasi de distincto ab intellectione, seu scientia diuina; eodem modo loquuntur Scotus, Ricardus, Alexander, Albert, Enrich, & alij. Probatum ratione, quia in intellectu duplex ratio potest concipi, videlicet ratio potentialitatis, quæ potest recipere realiter actum, quem infuse potest producere; & hoc dicit imperfectionem, ac proinde non est concedendum Deo; alia est vis percipiendi veritatem sub hoc præciso conceptu, ratione cuius aliquid potest intelligi ab habente talem vim, & in hoc conceptu nulla involuitur imperfectio, sed potius tota est perfectio sine imperfectione, & necessario est concedenda Deo: quia verum est dicere, Deus intelligit omnia & se ipsum: ergo habet infinitam vim intelligendi, & ideo potest omnia intelligere; quia ab actu ad potentiam evidens est consequentia: ergo concepta hoc modo perfectione intellectus sine vlla imperfectione concedenda est Deo.

QVÆST.